



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Debent ne Magistratus punire periuria?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

## Debent ne Magistratus punire periuria?

**P**ertinet ad officium magistratum punire periuria, Et ratio in promptu est. Magistratus debet tueri omnia uincula societatis & iudiciorum, Iuramentum est precipuum uinculum politici status, Ergo eius autoritas maxime defendi debet per magistratus. Quare omnium gentium leges constituerunt supplicia in periuros. Et lex XII. Tabularum laude dignissima est, quae falsum testem de saxo Tarpeio deijci iubebat. Porro haec ratio de magistratu sumitur tantum à corporali necessitate, ideo alia ratio quae sumitur à gloria Dei, addenda est. Nam Magistratus non tantum est defensor corporis, sed etiam gloriae Dei, quod ad externam disciplinam attinet. Tenendum est igitur hoc Argumentum, Magistratus est custos totius legis, quod ad externam disciplinam attinet, sicut Paulus inquit, Lex est posita iniustis, prophanis etc. Ergo debet punire delicta externa aduersus omnia praeccepta. Puniat igitur & periuria & alias contumelias externas nominis diuini, uidelicet, Epicureos sermones, atroces execrationes, & tollat idolatrias & cultus quos intelligit esse impios.

Item



Item puniat hereticos serentes falsa & impia dogmata, postquã res à pijs & doctis ritè iudicata est. Hæ pœnæ omnes sunt officia huius præcepti & habent exemplum in lege, **Leuit. 24.** Qui blasphemauerit nomen domini morte moriatur.

### An illicita iuramenta sint seruanda?

**I**LLICITA iuramenta intelligi debent, in quibus promittitur aliquid quod est peccatum, aut sine peccato præstari non potest. **V**t si quis promitteret sciens se facturum iniustam cædem. Talia iuramenta non sunt seruanda. **P**rimũ autem peccat iurans de re illicita, quia **D**eus non uult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. **D**einde maius peccatum est præstare talia iuramenta, sicut **H**erodes simulauit se coactum iurando interficere **I**oannem. **H**inc facile est iudicium de uotis **M**onachorum. **I**rrita sunt uota, in quibus hærent impiæ opiniones, quæ ledunt gloriam **C**hristi, et transferunt beneficium **C**hristi in opera ab hominibus excogitata, uidelicet, cum fingunt **M**onasticas **C**eremonias esse cultus **D**ei, qui mereantur remissionem peccatorũ etc.

**Vota Mo-  
nastica.**

### DE TERTIO PRAECEPTO.

Quid præcipit tertium præceptum?

**O**bser-